



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Modi LX Sacræ Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus Decimus Nonus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](#)

tinam non nossem hunc amicum, illam amicam,  
hunc pædagogum, illum puerum; quos quia æquo  
magis amabam, non sinor introire in Regnum cæ-  
lorum. Monet ergo Sapiens Proverb. 27. *Diligenter*  
*agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera,*  
*non enim habebis jugiter potestatem, sed Corona tri-*  
*buetur, in generationem & generationem.* Hebræa  
legunt: *An corona in generationem & generationē?*  
Nota interrogationem? An? & à te sæpius requi-  
re. An pecus quod intueris, an vellus amicitiæ, sit  
tibi in coronam? Nam nisi sit, hostes & lupi sunt,  
non amici, nec oves, quamvis vellere amicitiæ te-  
gantur.



## MODUS DECIMUS NONUS.

**E**X occasione sensus Evangelii, assumitur locus  
alterius scripturæ ex veteri testamento, aut ex  
Epistolis Apostolorum, qui sensui Evangelii illu-  
strando, aut explicando conferat. Totus deinde  
sermo, assumpto loco innititur, atque conformiter  
ad argumenti exigentiam perficitur. E. g. in Festo  
S. Mariæ Magdalenæ, eximiè posset tractari locus  
Isa. Cap. 35. *Ei quæ erat arida, erit in stagnum, & siti-*  
*ens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus prius*  
*Dracones habitabant, orietur viror calami, & jun-*  
*cí. Et erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur.*  
Similiter Dominica 16. post Pentec. ad illa ver-

G ba

98 MODUS DECIM. NONUS.

ba Luc. 14. Et observabant eum, posset tractari illud  
Psalm 11. Impii in circuitu ambulant. Tres enim  
circulos, observatores facere consueverunt. Primus  
est, Ineptæ curiositatis, qua circumeunt omnia,  
ut imitentur illum, qui dicit Job. 1. Circuivit terram.  
Secundus, supervacaneæ investigationis. Post  
quam enim in observationibus suis diu luserint, à  
suspicionibus egressi, in eadem ferè desinunt, & in-  
tra eas remanent. Tertius est Damnosæ illatio-  
nis. In quo enim alium judicas, te ipsum condemnau-  
inquit D. Paulus ad Rom. 2. Sit.

P R A X I S.

In die Sacratissima Circumcisionis D.N.  
J. C. Vocatum est nomen ejus JESUS.

Luc. 2.

**A**ccessus & Propositio. Dubium non est, san-  
guinis hodiernam, in Christo effusionem, ma-  
ximis in genus humanum beneficiis exundasse.  
Hoc ipsum, sacratissimo nomine J E S U, signifi-  
candum, olim à Spiritu Sancto est edictum, cum  
Cantico. 1. 2. per Iponsam diceret: Oleum effu-  
sum nomen tuum. Insistamus igitur nostris sola-  
riis, ut quæ beneficia hodie in nos pro manarint,  
ab hoc oleo effuso, id est nomine  
JESU discamus.

Con-

Confirmatio, constare debet explicatione  
sententiae: Oleum effusum &c.

D. Abbas Clarævallis, cum hæc verba, *Oleum effusum nomen tuum*. Ser. 18. expendit, & cum illis Isa. 9. vocabitur nomen ejus admirabilis, confert, sic egregiè utraque componit. Vocabitur inquit nomen ejus admirabilis, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps Pacis. Primum, tertium, quartum, majestatem sonant, reliqua pietatem. *Quid horum ergo effunditur?* profectò Majestatis ac potentiae nomen, in id quod est pietatis, transfunditur abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum, quibus verbis D. Doctor clare significat. Oleum effusum esse nomen JESU, quia nomen hoc sacrosanctum, ostendit infinitam Dei in nos pietatem, verissimè profectos, sed ut pietas hæc apertius pateat, triplex potissimum, Olei effusio revocanda. Oleo sanantur vulnera Jerichontini peregrinit, Luc. 10. Oleo providetur extremæ viduæ pauperis necessitati. 3. Reg. 17. Oleo inaugurantur Reges, David, Salomon, Jehu & alii. O salutarem effusionem! Onobilem piissimi nominis JESU significationem! *Oleum effusum nomen tuum* f. *ESV*, effusum ad nostram sanitatem, effusum ad nostræ egestatis opulentiam, effusum ad nostræ debilitatis robur, & humilitatis exaltationem.

Jacebat magnus ægrotus, id est mundus, juxta D. Aug. Et cum tamdiu jaceret Is. 1. 6. *Vulnus, & litor, & plagatumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo,* donec *DEVS noster,*

G a Dens

## 100 MODUS DECIMUS NONVS.

*Deus salvos faciendi* Psal. 67. descenderet in mundum, & vocatum nomen ejus JESUS. Oleum verè effusum, nomen istud, ad curanda nostrorum peccatorum vulnera, quemadmodum explicuit Angelus. *Vocabis nomen ejus JESVM, Ipse enim salvum faciet omnem populum.* Matth. 31. à peccati. Quare B. Cyrol. Jerol. Cath. 10. dicit, nomen JE-SU, ex Græco, significare medium: quando quidem, ut ibidem subdit, & corporum est medius, & animorum & D. Epiphan. H̄eres. 29. inquit, JESUS in Hebræalingua, Curator appellatur, aut medicus & Salvator. Sed piissimè ac mellifluè Bernar. Ser. 15. in Canti. O nomen benedictum! O oleum usque quaque effusum! Quousque? de cælo in Iudæam, & inde in omnem terram excurrit, tum pergit. *Ecce CHRISTVS: ecce JESVS, utrumq; effusum Angelis, utrumq; effusum in homines: & illos homines, qui computruerant, tanquam jumenta in stercore suo: homines & jumenta salvaris, quemadmodum multiplicavit misericordiam suam.*

Nec sufficit pietati divinæ, oleo hoc, curata nostra vulnera, quin subveniretur egestati. Verè pauperes facti sumus nimis Psalm 78. cum donis gratie & spe cælesti, per admissa scelera privati, extrema egestate premeremur; sed oleum effusum nomen JESU, de quo ipsa veritas: *Si quid petieritis Patrem meum in nomine meo, dabit vobis Joan. 14.* Expende liberalitatem promissionis. *Si quid, non restringit, non arctat promissa.* Aude, & pete in nomine JESU; nihil non obtinebis, quamquam sæpe, à te.

per

per idem nomen petens pauper , ne obolum obtinet. Ad rem nostram Paulus 2.ad Cor. 8. Scitis gratiam Domini nostri JESV CHRISTI, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius in opia vos divites essetis. Quid est hoc dicere ; nisi dicere, oleum effusum nomen ejus, ad ditandam nostram inopiam : Unde iterum citatus Bernar: ad illa verba Psal. 21. *Sicut aqua effusus sum, Effusa est,* inquit, plenitudo divinitatis, habitans super terram corporaliter : ut de illa plenitudine , omnes qui corpus mortis gestamus, acciperemus. Et Philo Carpati. ad id Canti: Oleum effusum. *Hoc est nomen illud effusum, summa charitas, ardentissimus amor Creatoris, ad creaturam.* Mortalis venit, ut nos semper pateremur : mortuus est semel , ne nos in perpetuum moreremur. Licet, licet vere omnibus D. Ambr. affectu exclamare Lib. 2. in Luc. *Maluit sibi egere, ut omnibus abundaret ! Oleum effusum nomen ejus.*

Denique, oleum effusum nomen ejus ut essemus , Gens sancta, Regale sacerdotium 1. Petr. 2. 9. heredes DEI, cohæredes autem CHRISTI, qui audire mereamur, *Possidete Regnum* Matt. 25. attollimi- ni de terra ad cælum , de fimo ad summum ut collocemini cum Principibus , cum Principibus populi sui Psalm 112. Ille in præsepibus , ait D. Ambr: in 2. Luc. ut tu in altaribus , ille in terris, ut tu in cælis ; ille alium locum in diversorio non habebat , ut tu plures haberetis in cælestibus mansiones. Sic , pergit Hilaris: lib. 2. de Trinitate. *Humilitas ejus, nostra nobilitas est, contumelia ejus, noster honor est, quod ille est Deus in Carne consistens, hoc nos vicissim, in Deum*

## 102 MODUS DECIM. NONUS.

*ex carne renovati. Quod olei effusio, seu unicto,* significaret in Christo dignitatem Regiam, explicans ep. 140. D. Hier. Sic ait. *Quis typum illius pre-tulerunt, & regnandi confortes dicti sunt, oleo corru-ptibili sunt inuncti.* Hic verò filius DEI, à DEO Patre oleo exultationis, hoc est Resurrectionis, Ascensionis, dominationisq; est delibutus. Nil obstat, quo minus per accommodationem, sensum verborum ad nos convertamus, & intelligamus, nos in Regnum Dei, oleo effuso sanctissimi nominis JESU, tanquam oleo exultationis, Resurrectionis & Dominationis immortalis unctos, ut grati tantæ dignationis, & exaltationis, iteremus cum D. Apostolo sacerdoti Ap. 1.5. *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos Regnum,* & sacerdotes, Deo Patri: Ipsi, gloria & imperium, cuius nomen oleum effusum, in sacula luxorum.



## MODUS VIGESIMUS.

**I**nterdum, non sententia tantum alterius loci tractatur: sed totum caput, aut Psalmus, intento Evangelii & explicationi accommodatus: ut si de immaculata Deiparæ conceptione dicturus, assumas Ps. 36. *Fundamenta ejus in montibus sanctis,* aut de Resurrectione servatoris & Domini nostri. Psalm. 2. *Quare fremuerunt gentes &c.* aut de Ascensione Psalm. 109. *Dixit Dominus Dominu-*